

## PROOEMIUM.

De sex dierum opificio veteres theologi qui Petri Lombardi vel S. Thomæ Aquinatis methodum sequebantur, satis fuse agere consueverunt, persequentes, non sine ingenii et diligentiae laude, quæstiones eas quæ ex historia mosaica (I et II Geneseos capite) sua veluti sponte exoriuntur. Verum non aliter hæc pertractare poterant, nisi uti illa ferebant tempora et status naturalium scientiarum valde imperfectus. Recentiores autem theologi qui summam aliquam et quasi curriculum sacræ doctrinæ tradiderunt, vel de hisce quæstionibus omnino tacent, utpote qui de dogmate tantum adstruendo solliciti sunt, vel de Deo creatore loquentes, generatim tantum de creatione et de mosaica creationis historia, non vero, ut veteres illi, de singulis ejus partibus disserunt.

Cum tamen hæc tractatio non parvi momenti mihi esse videatur, quumque inimicorum objectiones et naturalium incrementa scientiarum effecerint, ut divinam creationis historiam sine maxima fortasse difficultate, et minus imperfecte exponere, et validius ab adversariorum telis vindicare præsentis tempore possimus; utile fore existimavi, si brevis de sex dierum opificio tractatus conficeretur, qui prælectionum sive cursuum theologicorum veluti appendix quædam haberi posset.

Hunc ego conscribere ausus sum in usum paucorum theologiæ auditorum, dum Georgiopolis in America degerem, quæ urbs est Baltimorensis archidiocæces et in illa Marilandie parte sita, quæ modo, a cætera regione veluti separata, *districtus Columbiae* vulgo appellatur. Hunc ipsum modo typis committo, confidens, eum non inutilem theologiæ studiosis juvenibus futurum. Quod si vitam Deus viresque concesserit, ampliorem adhuc de sex dierum opificio tractationem pervulgare mihi mens est; ut ostendam et naturales scientias, et profanas quorundam populorum traditiones, et divinas litteras ad eandem conclusiones cosmogonicas nos adducere.

Veniam peto scriptis, *quorum non gloria nobis causa, sed utilitas officiumque fuit*. Ab homine latinæ scriptioni non assueto necesse, ut puto, elegantiam exquisitiorem sermonis expectat. Nemo mirabitur si non modo minus ornate, sed etiam quædam minus latine dixerit. Istæ laudes ab illis jure exigantur, qui eas assequi et possunt et volunt: me autem neque posse, ego ipse ingenuè fateor, neque voluisse, oratio ipsa declarabit.

IN

## HISTORIAM CREATIONIS MOSAICAM

COMMENTATIO,

AUCTORE JOANNE BAPTISTA PIANCIANI, SOC. JES.

Editio nova, ab auctore recognita, emendata et aucta.

Quam pulchrum est in principis, in origine rerum  
dehinc oculos et nobile mentis acumen!  
Pervolat hæc sapiens. (POLIGNAC, *Anti-Lucret.*)

1. S. Thomas, *Summ. part. I, Quæst. LXVI* et seq., alique e schola theologi commentarium theologium, sive theologicum-philosophicum in cap. 1 *Geneseos* tradere consueverunt. Id commodius et utilius nostro ævo mihi videtur fieri posse, et id præstandum aggredior. Ac primo integrum illud caput exponendum puto, non ut legitur in optima vulgata versione quam hic describere supervacaneum esset, cum omnium manibus teratur, sed pressius hebraico textui inherendo. Verbum verbo curabo reddere fidus interpret.

1. In principio creavit Deus caelum (sive *caelos*, ita alibi) et terram.

2. Et erat terra deserta et vacua (seu *informis*, *ἀμορφοῦ* *confusa*, *invisibilis*) et tenebrae (obscuritas, ital. *tenebra*, *tenebrata*), super faciem abyssi, et spiritus Dei movens super faciem aquarum.

3. Et dixit Deus: sit lux (vel *ignis*), et lux fuit. (Melius ital. *sia luce*, *e luce fu*.)

4. Et vidit Deus lucem quod (esset) bona, et divisit Deus inter lucem, et inter tenebras.

5. Et appellavit Deus lucem *diem*, et tenebras *noctem*. Et fuit vespera, et fuit mane, dies unus.

6. Et dixit Deus: sit extensio (seu *firmamentum*, ita alibi) in medio aquarum, et sit separans inter aquas et aquas.

7. Et fecit Deus extensionem, et separavit (seu *separari fecit*) inter aquas quæ sunt sub extensione, et inter aquas quæ sunt super extensionem. Et ita fuit.

8. Et vocavit Deus extensionem *caelum*. Et fuit vespera, et fuit mane, dies secundus.

9. Et dixit Deus: congregentur aquæ (quæ sunt) sub celo in unum locum, et appareat siccum. Et ita fuit.

10. Et vocavit Deus siccum *terram*, et congregationes aquarum *maria*. Et vidit Deus quod (esset) bonum.

11. Et dixit Deus: germinet (pressius ad litte-

ram, *herbescat*) terra herbam parvam, herbam facientem semen, et arborem fructiferam facientem fructum juxta speciem suam, cujus semen sit in ipsa super terram. Et ita fuit.

12. Et produxit terra herbam parvam, herbam facientem semen juxta suam speciem, et arborem facientem fructum, cujus semen est in ipsa, juxta suam speciem. Et vidit Deus quod (esset) bonum.

13. Et fuit vespera, et fuit mane, dies tertius.

14. Et dixit Deus: sint luminaria in extensione caeli, ut dividant inter diem et inter noctem, et sint in signa, et tempora, et dies, et annos.

15. Et sint ut luminaria in extensione caeli, ut illuminent super terram. Et ita fuit.

16. Et fecit Deus duo magna luminaria, luminare majus ut præesset diei, et luminare minus (vel *parvum*) ut præesset nocti, et stellis.

17. Et posuit ea in extensione caeli, ut illuminarent terram.

18. Et ut præessent die ac nocte, et ut separarent inter lucem et inter tenebras. Et vidit Deus quod (esset) bonum.

19. Et fuit vespera, et fuit mane, dies quartus.

20. Et dixit Deus: aquæ producant copiose reptilia (vel *scateant aquæ reptilibus*, vox hebraea significat *piscis et reptilia aequalia*) animalia viventia; et volat volatilis super faciem extensionis caeli. (Vulg. *sub firmamento caeli*.)

21. Et creavit Deus cete grandia (*magna aequalia*) et omne animal vivens, repens, quæ (animalia) aquæ producerent copiose juxta speciem suam, et omne volatilis alatum juxta speciem suam. Et vidit Deus quod (esset) bonum.

22. Et benedixit eis Deus, dicens: generate filios et multiplicamini, et replete aquas maris, et volatilis multiplicetur super terram.

23. Et fuit vespera, et fuit mane, dies quintus.

24. Et dixit Deus: producat terra animalia vi-